HENRICI à COCCEJUS,

AUGUSTI AC POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS CONSILIARII INTIMI, NEC NON FACULTATIS JURIDICÆ IN UNIVERSITATE VIADRINA ORDINARII AC PROFESSORIS PRIMARII,

VOLUMEN DISSERTATIONUM JURIDICARUM SELECTARUM,

Quarum Indicem ſequentes paginæ indicabunt.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud *JEREMIAM SCHREY*, & *JOH. GODOFREDUM CONRADI.*
M DCC XIV.

SERIES
DISSERTATIONUM
Hoc Volumine comprehenſarum.

VIII.

XVI.

De Probatione Feudali.
PRO LICENT. Dn. Auguſtus Bernhardus Brunner, *Hall. Magdeb.*

XVII.

De Curioſitate Legali Proficua, *Occaſ. l. 3. §. 9. ff. de in rem verſo. vſ. curioſus eſſe debet cred.*
PRO LICENT. Dn. Joann. Erneſt. de Lettow.

XVIII.

De Juſtitia Belli & Pacis in Statu Regni Portugallici fundata.
Reſp. Dn. Burchardus Neukirch, *Weſtph. Paderb.*

XIX.

De Poteſtate Statuum Imperii circa dignitates,
PRO LICENT. Dn. Daniel Leonhard Müller / *Lipſ.*

XX.

De Titulorum & Commendarum convenientia.
Reſp. Perill. Dn. Wilh. Auguſtus Comes de Lynar.

XXI.

De Notione & Executione Auſtregarum.
PRO LICENT. Dn. Joh. Daniel. Hake, *Hanovienſis.*

XXII.

De Jure circa actus imperfectos.
PRO LIC. Dn. Joh. Hermann. Mäyer / *Onold. Franc.*

XXIII.

De Sicariis ac Veneficis, *ad L. 1. pr. §. 1. & 2. ad L. Corn. de Sicar. ac venef.*
Reſp. Dn. Chriſtoph. Engelbrecht, *Schiffenb. Boruſſ.*

XXIV

XXXII.

De Eo, Quod justum est circa numerum suffragiorum, ubi de Calculo Minervæ.
PRO LICENT. Dn Franciscus Meyer, *Bremens.*

XXXIII.

De Sacro-Sancto Talionis Jure.
PRO. LICENT. Dn. Petrus Düker, *Bremens.*

XXXIV.

De Justo Præliorum exitu.
Resp. Dn. Wilh. Fridericus de Danckelman,

XXXV.

De Vero Debitore sententia absoluto.
PRO LICENT. Dn. Henricus Daniel Trutenius, *Pollâ Brunsv.*

XXXVI.

De Executoribus Testamentariis & Jure Patronatus.
PRO LICENT. Dn. Joach. Henr. Lang, *Colbaz. Pom.*

XXXVII.

De Præsumtione Qualitatis Feudalis Comitatuum &c.
PRO LICENT. Dn. Gerhardus Godofredus ab Aschen, *Bremensis.*

XXXVIII.

De Evocatione Sacrorum, *ad L. 9. §. 2. ff. de Rer. Div.*
Resp. Dn. Fridericus de Danckelmann.

XXXIX.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, *Prima.*

DE

TESTAMENTIS PRINCIPUM,

Qvam

Favente Divino Numine

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO, EIDEMq; ab AULÆ ELECT. CONSILIIS, nec non FACULTATIS JURIDICÆ IN ALMA VIADRINA ORDINARIO & PROFESS. PRIMARIO,

ANTEA

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI, & COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEM. HEIDELBERGENSI DECRET. PAND. & JUR. GENT. P. P. ORDINARIO,

Dn. Parente omni obſequii cultu venerando,

Ad D. XXI. Decembr. An. M DC IC.

Placido Eruditorum Examini ſiſtit

JOHANNES GOTHOFREDUS COCCEJUS,

Heidelbergâ-Palatinus,

AUTOR.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

PRÆFATIO.

SI quid verum unquàm, id ſanè, ſi ratio ejus ritè ſubducatur, veriſſimum puto quod Cic. *L. 3. Off. 17.* anxiè queritur. *Nos,* inquit, *veri juris Germanæque Juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus, umbrâ tantum & imaginibus utimur:* Non enim ea exſculpenda eſt hujus loci ſententia, quaſi Romanos ſpurio, vel non optimo jure uſos fuiſſe putaverit Cicero; ſed quòd jure edito concluſiones ſaltem, non ipſa principia comprehenſa fuerint. Ita enim pergit: *Eas ipſas* (imagines) *utinam ſequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ & veritatis exemplis.* Apparet ergò fontem eum requirere, & per umbram atque imagines ea quæ inde ducta & derivata ſunt, intelligere. In hanc enim ſententiam optimum hujus loci interpretem agit Seneca *Epiſt. 88.* ubi artis cujusq; principia non aliunde impetranda, ſed ex ipſa arte petenda eſſe docet; tum eleganter ſubjungit: *Ars non eſt ſui juris cui precarium ſundamentum eſt: Philoſophia nil ab alio petit, totum opus à ſolo excitat.* Cùm igitur omnis juris

Natura fons sit, Cic. *d. l.* non potest id sciri, nisi Naturæ inprimis vires ac præcepta excutiantur. Nam & totum Jus Romanum collectum esse ex præceptis naturæ, gentium & civilibus testantur cùm JCtus in *L. 1. §. 2. ff. de Just. & Jur.* tum *Imper. in §. fin. Inst. eod.* (ubi uterque principia Jurium præcepta Juris ad exemplum Cicer. *d. l.* appellat) Neque igitur jus civile intelligi, nedum omnibus numeris absolutum videri poterit, nisi evoluto Naturæ jure, ejusq; principiis. Inprimis in causis Principum ac populorum; qui his solis obligantur, non ex jure civili Romanorum, non ex J. Gent. secundario, nec ex ullo alio jure quàm quod immediatè ex Naturæ præceptis fluit, ut rectè quoque id Cic. *in Orat. pro Balb. c. 6.* monet. ubi & ipse hujus juris utilitatem commendat. Quantum igitur Princeps præstat privato, tantum Jus Nat. juri positivo. Hujus itaque tam utilis ac necessarii juris particulam delibare nobis nunc in animo est, eam sc. quæ de Testamentis Principum agit, quæ quò magis ardua est, eò faciliùs ætati venia dabitur, si materiæ gravitatem tractatione assecutꝰ haut fuerim.

PARS I. Generalis.

De Testamentorum Jure naturali.

SUMMARIA.

§. 1. Voce testamenti tum jure civili tum inter gentes tale intelligitur negotiũ, quo testator, quid post mortem suam fieri velit, solus disponit.

2 Id probatur exemplis.

3. Nulla verò hic est quæstio de dispositione inter vivos.

4. Examinatur descriptio testamẽti quam Grotius tradit.

5. 6. Probatur, testamentum non rectè Grotio dici alienationem.

7. Nedum tolerari posse, quòd Grotius addit, testatorem interim tantum retinere jus fruendi, possidendi revocandiq;.

8. Ostenditur, alienationem Grotianam

tianam esse actum inter vivos, & incidere in donationem mortis causâ.

9. 10. *Donatio mortis causâ non est vera species ultimæ voluntatis.*

11. *Effectus tamen legati habet.*

12. *Hoc verò esse ex J. Positivo.*

13. *Confirmatur, alienationem Grotii esse donationem mortis causa.*

14. 15. & 16. *Aliæ adduntur rationes quibus infringitur Grotiana testamenti descriptio.*

17. *Proponitur quæstio, an testamentum, tanquam dispositio unius, originem habeat ex Jure Naturali.*

18. *Ejus decisio negativa.*

19. *Actus traditionis in jure actum acceptationis quoque vi verbi includit.*

20. *Omnes modus, quibus unius facto acquirimus, esse ex J. Civ. probatur.*

21. *Testamenta planè unius dispositionem esse, & sic negotium imperfectum.*

22. 23. *Ostenditur testamenti rationem naturæ adversari.*

24 *usq; ad* 27. *Non tantum testamentum ut Jure Romano formatum, sed & ut inter gentes receptum est, meris fictionibus absolvi & sustineri.*

27. *Testamentum jure quoque civili est negotium aliquod imperfectum.*

28. *Quod primùm probatur, quia id testator semper revocare potest.*

29. *Porrò hoc ostenditur, quia heres etiam mortuo testatore non transmittit hereditatem non aditam.*

30. *Deniq; quia heredibus vivo testatore præmortuis deficit institutio.*

31. *Cura Juris Rom. de modo quo validè transferre hereditatem testator posset.*

32. 33. *Examinatur ratio Grotii, quòd testamentorum substantia sit cognata dominio, & sic juris naturalis.*

34. *Ostenditur, rationem Puffendorffii nō quadrare, quòd veteres soliti fuerint suos juramento ad ultima mandata observanda adstringere.*

35. *Examinatur altera Grotii ratio, quòd testamentorum usus pluribus gentibus communis sit.*

§. I.

Testamenti voce, tum Jure Civili tum inter Gentes, tale intelligitur negotium, quo testator, quid post mortem suam fieri, & in quos res suas transferri velit, solus disponit: si enim ille, cui relinquit, consentiat, & ita negotium inter utrumque contrahatur, pactum id erit seu conventio, & actus inter vivos, non ultimæ voluntatis. Hæ enim species adversæ sunt, testamentum & conventio, *L. 20. ff. de V. Sign.* & toto genere ab invicem distincti actus inter vivos & ultimarum voluntatum: quia ultima voluntas dicitur, postquam aliud velle non possunt homines, *L. 1. C. SS. Eccles.* illa sc. in qua fuit in momento quo mortuus est: quamdiu enim vivit velle aliud potest, & de mortuo demum verum est, quòd arbitrium non redeat: ut loquitur *d. L. 1.* Quicquid igitur consensu mutuo fit, adeò abhorret à natura testamenti & ultimarum voluntatum, ut ejus interventu rumpatur continuitas testamenti: *L. 28. C. de Testam.* neque proinde ulla ratione pars aut actus testamenti seu ultimæ voluntatis videri possit, sed vera conventio

ventio actusque inter vivos. Atque hoc exprimunt omnes ultimarum voluntatum definitiones solennes: ita testamentum non nisi nostræ voluntatis sententia est, de eo, quod quisque post suam mortem fieri velit. *L. 1. ff. Qui test. fac. poss.* adeò ut ne possit quidem ultima voluntas ex alterius pendere arbitrio. *L. 32. ff. Hered. instit.* Ita legatum describitur donatio à solo testatore relicta, *pr. Inst. de Legat.* neque legata legatariorum consensu constituuntur, sed his post mortem demum præstantur ab herede. *d. princ.*

§. 2. Neque Romanorum tantùm, sed omnium Gentium, quotquot extant, testamenta, quorum nondum obliteravit memoriam incuria temporum, solius testatoris arbitrio, nulla verò plurium consensu facta sunt. Ptolomæus Rex Ægypti tabulas testamenti, à se solo & uno, & ex suo unius placito factas, Romam misit custodiendas & post mortem suam exequendas. Cæs. *de Bell. Civ. lib. 3. cap. 20.* A. Hirt. *de Bell. Alex. cap. 5.* Herodes testamentum suo libitu condidit, suoq; arbitrio deinde correxit, & denique mutavit; Augustoq; ejus executionem commisit. Joseph. *de Bell. Judaic. lib. 1 cap. 20. & 21. & lib. 2. cap. 1.* Attalus Rex Pergamenorum Populum Romanum heredem testamento scripsit, hac formula: *Populus Romanus bonorum meorum heres esto:* Flor. *l. 2. c. 20.* quæ fuit dispositio unius Attali. Hieronis Siciliæ Regis testamentum, ejus solius, etsi muliebribus blanditiis obsessi, arbitrio factum produxêre furores nepotis. Liv. *lib. 24. c. 4.* Arcesilaus tria testamenta, quæ suo nutu solus conscripserat, apud totidem amicos deposuit. Diog. Laërt. *de Vit. Philos. lib. 4. in Vit. Arces.* Quin apud Diogenem Laërtium integræ antiquorum testamentorum formulæ complures extant, in quibus nihil omninò consensu, sed in universum omnia solius te-

 statoris

ſtatoris nutu, arbitrio, atq; imperio diſponuntur. Ita in teſtamento Theophraſti. Ἐὰν δέ τι συμβῇ, τάδε διατίθεμαι *&c. ſi quid humanitus acciderit, iſta diſpono ſeu ſtatuo.* Et mox: Τάδε μοι βούλομαι γενέσθαι. *Iſta mihi fieri volo.* Et ſic cætera omnia vocibus βούλομαι. δίδωμι, aliisq; verbis imperativis ac diſpoſitivis ſolius Teſtatoris conſtant. Diog. Laërt. *d. tr. lib. 5. in Vit. Theopraſt.* Quod idem quoq; fit in teſtamento Stratonis, cujus initium eſt: Τάδε διατίθεμαι, ἐάν τι πάσχω. *Ita ſtatuo ſi quid humanitus paſſus fuero. d. lib. 5. in Vit. Straton.* Et in teſtamento Lyconis, quod incipit: τάδε διατίθεμαι περὶ τῶν κατ' ἐμαυτὸν, ἐὰν μὴ δυνηθῶ τὴν ἀῤῥωστίαν ταύτην ἐπενεγκεῖν. Τὰ μὲν ἐν οἴκῳ πάντα δίδωμι, &c. *Iſta de rebus meis ſtatuo, ſi morbum hunc ſuperare nequivero: omnia quæ domi meæ ſunt lego &c. d. lib. 5. in vit. Lycon.* Eademq; eſt forma teſtamenti Ariſtotelis, *d. lib. 5 in princ.* & Epicuri: qui inter alia hortum ſuum, in quo ſcholam habuit, iis, qui de ſuo nomine Philoſophi eſſent, per fideicommisſum perpetuum reliquit. *d. tr. lib. 10. in Vit. Epic.* Quæ omnia & quæcunq; quarumcunque gentium alia adhuc extant teſtamentorum exempla, perinde ut apud Romanos, unius teſtatoris voluntate, non verò ejus & eorum, quibus relinquitur, conſenſu facta reperiuntur, Uti & Abrahamus, cùm nondum ex uxore liberos ſuſcepisſet, ſuo unius arbitriò heredem facere volebat. *Gen. 15. v. 3.*

§. 3. Ut adeò primum omnium illud immotum indubitatumq; atq; pro infallibili norma habendum penitus ſit; quoties de teſtamento aliave qualibet ultima voluntate quæritur, intelligi diſpoſitionem, quæ ſolius teſtatoris voluntate & arbitrio, non verò quæ ejus ac quibus relinquitur conſenſu pactoq; conſtet aut confecta ſit. Quod ſi igitur qui in contrarium diſputant, modum alienandi mutuo conſenſu intelligunt, in va-

num

num micant, & aërem terebrant, aut aquam secant: cùm nemo unquam dubitaverit, quin domini mutuo consensu pactisq; inter vivos de rebꝰ suis ea lege, ut alter altero moriente ea capiat disponere possint; hic verò nõ de pactis, sed de unius ultima voluntate quæstio sit.

§. 4. Inprimis igitur penitus abjicienda est descriptio Grotii *de J. B. & P. l. 2. c. 6. §. ult.* quem sequitur Vinn. *ad princ. Inst. de Test. ord. n. 2. quod testamentum sit alienatio in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure possidendi ac fruendi.* Scio equidem, eam ætatis meæ verecundiam esse debere, ne mihi judicium in magnos viros, & incomparabilem inprimis Grotium arrogem, nedum ut ejus refellendi occasiones captem. Verùm cum alios jam mihi præeuntes ac duces habeam, Doctiss. scil. Zieglerum *ad d. l 2. c. 6. in fin. & Puffendorff. de J. N. lib. 10. §. 2. & 3.* qui eam descriptionem meritò improbare videntur, horum autoritatem præferre, & quod illi extremis saltem labris tetigerunt, pleniùs excutere licebit. Perperam igitur quàm maximè ita à Grotio & Vinnio describi testamentum, sequentibus rationibus assero.

§. 5. Nam 1. alienatio illa vel per utriusq; partis consensum fieret, & vera conventio actusque inter vivos esset, non testamentum aut ultima voluntas: vel voluntate solius testatoris, & ea non esset vera alienatio, quippe quæ requirit alterius acceptationem, atq; utriusq: consensum; sed negotium imperfectum, quod omni effectu caret: uti mox pleniùs demonstrabimus. Quin, etsi talis actus solius testatoris esset alienatio, & ita dici posset, adhuc tamen eô graviter committeret Grotius, quòd in tali alienatione, quæ communis saltem est contractibus & actibus inter vivos, testamenti formam constituit, adeoq; ultimas voluntates à con-

ventioni-

venditionibus non distinguit, sed utrasque quin omnia propè negotia, quæ alienationem continent, confundit.

§. 6. Verùm 2. nec alia Grotio intelligitur aut intelligi potest alienatio, quàm quæ consensu & pacto fit: nam ad hoc, ut testatore vivo heres proprietatem habeat, testator verò jus fruendi, possidendi & revocandi retineat, necessum est ut hoc inter ipsos actum placitumque ita fuerit: Neque verò explicari nisi utriusque consensu pactisque possunt illæ reservationes, neque aliud illæ sunt, quàm pacta & conventiones, quibus heres, se domino facto, consentit, testatorem retinere, dum vivit, possessionem & usumfructum cum jure revocandi; & testator, ut his reservatis alter interim se vivo sit dominus: nam aliàs non esset alienatio.

§. 7. Atque hic 3. alius est nævus insignis, quem hæc Grotiana testamenti descriptio continet, quod *testator dicatur interim tantùm retinere jus fruendi, possidendi & revocandi;* adeoq; proprietatem rei se vivo jam transmittat in heredem; quo nihil magis ab ingenio ultimarum voluntatum abhorret: illæ enim tales sunt dispositiones, quibus quis, quid post mortem fieri velit, declarat. *l. 1. ff. Qui test. fac.* non quid se vivo. Testamenti enim vis omnis post mortem demum incipit. *l. 19. ff. de Acq. hered.* & adeò nihil inde jùris in heredem transit vivo testatore, ut heres ex hereditate ne quidem capere aut acceptare quid possit nisi post mortem: prout nec legatum intelligi potest nisi defuncto testatore; *l. 6. ff. pro Legat.* nec ulla planè hereditas viventis. *l. 1. ff. Pro hered. l. 3. C. Usuc. pro hered. L. 1. ff. de hered. vel act. vend.* Si igitur proprietas, solo jure possidendi & fruendi retento, alienatur vivo testatore, talis alienatio nullo modo erit testamentum, quia per hoc nulla fit alienatio nisi post mortẽ, per illã verò vivo testatore; & quidẽ alie-

natio

enatio proprietatis omnisq; juris, excepto fruendi, possidendi & revocandi, atq; ita declarat testator, non tantùm quid post mortem, sed & quid se vivo fieri velit.

§. 8. Porrò, quòd 4. alienatio hæc Grotiana non sit testamentum sed actus inter vivos, vel eo intelligitur, quia coincidit cum donatione mortis causa, quin, (modo verba illa, *retento jure fruendi, possidendi*, prout penitus sunt explodenda, omittantur,) est ipsissima mortis causâ donatio: quæ quid aliud est, quã alienatio quædam cum pacto expresso, ut ante mortem revocari possit? nam hæc verba idem planè significant, ac illa, quibus mortis causa donatio explicari solet: cùm quis se magis habere vult, quam eum cui donat, magisq; eum cui donat quàm heredem suum. *L. 1. L. 35. §. 2. ff. de Mort. caus. don.* Quid enim est, *se magis habere rem donatam velle quàm donatarium,* nisi ea lege donare, ut, *si ipse donator tamen rem habere velit, semper, ut potior, revocare eam à donatario possit:* & quidem ante mortem; id enim volunt verba, *donatarium magis habere quàm heredem,* cujus jus cùm à morte incipiat, eo tempore donatarius ei præfertur. Sanè id ita explicatur disertè *in §. 1. Inst. de Donat.* ubi ita describitur, *cum quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is qui accepit; si vero donationis eum pœnituisset, reciperet.* Nihil ergò aliud est illa m. c. donatio, quàm donatio quæ fit reservato jure pœnitendi seu ex pœnitentia revocandi, ut traditur in *L. 30. L. 16. ff. Mort. Caus. don. Paul. sent. lib. 3. c. 10.* quæ est ipsa descriptio Grotii: cui testamentum dicitur alienatio cum jure ante mortem revocandi; seu, quod idem, ante mortem pœnitendi. Cœtera verò verba, *retento jure possidendi fruendiq;*, nec ultimis voluntatibus conveniunt, quibus omne jus dominiumq; universum manet testatoris dum vivit, prout jam ostensum est: neque donationi mortis causâ

quâ vel id agitur, ut nihil juris in alterum transeat ante mortem, vel ut ipsumdominium revocabile transeat. *L. 2. L 29. ff. eod.* His ergò verbis recisis descriptio Grotii mortis causà donationi accurate convenit, testamentis & ultimis voluntatibus nullo modo.

§. 9. Atqui donatio mortis causâ non est vera species testamenti vel ultimæ voluntatis, sed pacti & conventionis, adeoq; actus inter vivos. Id verò inde patet, quia isthæc donatio duorum consensu peragitur, cùm præsens præsenti, atque adeò acceptanti, donat. *L. 38. ff. eod.* adeò, ut donator ea parte, quâ se cogitat, scil. ut sibi, cùm voluerit, reddatur, negotium gerere dicatur; nimirum contractus innominati, do ut ubi voluero reddas. *L. 35. §. 3. ff. eod.* unde etiam actio illa, quæ in contractibus do ut des vel facias recepta est, scil. condictio causâ datâ causâ non secutâ, inde datur. *d. L. 35. §. 3 L. 29. L. 30. ff. eod.* Sed & per ipsum stipulationis tractum ea fieri, *L. 34. ff. eod* & exceptio pacti conventi inde dari potest. *L. 18. §. 2. L. 35. §. fin. ff. eod.* Et exemplum illud, quo Telemachus Homericus donat Pyræo, ad cujus normam deinde acta & formata est mortis causa donatio, est mera conventio utriusque consensu inita.

§. 10. Hinc etiam mortis causâ donatio quoad formam sequitur pacta & conventiones, non ultimas voluntates: Possunt enim ei pacta adjici & legem dare; *d. l. 18. §. 2.* ultimis voluntatibus non possunt, ut constat. Imò donationi mortis causâ adjici potest pactum de non revocando. *L. 27. ff. eod.* ultimis voluntatibus non potest. *L. 22. pr. ff. de Legat 3. L. 55. ff. de Legat. 1.* Hinc omnes qui contrahere, iidem etiam mortis causâ donare possunt, etsi altimas voluntates condere non possint, ut si iis. *L. 25. ff. de Mort. caus. don.* Et, cum legatum seu fideicommissum annuum sit mutiplex, stipu-

ſtipulatio verò ſeu conventio annua una tantùm, annua mortis causâ donatio quoque una tantum eſt, eoque ſequitur naturam conventionum ac ſtipulationum, non ultimarum voluntatum. *L 35. §. fin. ff. de Mort. cauſ. don.* Quin hæc donatio à tota hæreditate ſeparata eſt, adeo ut, licèt nulla hæreditas adita, nullusq; heres, aut ille indignus vel incapax ſit, mortis causâ donatio tamen valeat & perfecta ſit. *L. 25. §. 1. L. 32. ff. eod. L. 5. §. 17. ff. de His quæ ut indign.* & ſic in aliis. Bachov. *ad princ. Inſt. de Donat. n. 8.* Vinn *ad §. 1. Inſt. eod. n. 3.*

§. 11. Cæterùm, etſi hæc donatio revera ſit conventio & actus inter vivos, tamen jure civili jam olim ſtatutum fuit, ut vim effectusque legati habeat. *L. 37. princ. ff. de Mort. cauſ. don. L. 2. ff. de public. in rem act.* quod proinde Juſtinianus non conſtituit, ut gloriatur in *§. 1. Inſt. de donat. L. fin. C. Mort. cauſ. don.* ſed confirmavit, uti ſentiunt Bachov. & Vinn. *d. l.* Cui idem Imp. addidit, ut hæ quoq; donationes non valeant niſi coram 5. teſtib9 factæ. *d. l. fin.*

§. 12. Id igitur ex jure poſitivo eſt, quòd donationes mortis causâ quoad adquiſitionem ultimis voluntatibus comparentur, & eadem inde donatarii accipiant, quæ ex legato legatarii, *d. l. fin.* Hoc ut fieret, ponendum fuit, ut, cùm tralatitium ſit in conventionibus & actibus inter vivos, initium contractus ſpectari. *L. 8. pr. ff. Mand. L. 1. §. 1. ſi ſervus 30. ff. Depoſ. l. 12. ff. SCt. Maced. L. 1. §. 4. ff. de Except. L. 4. ff. ſi menſ. falſ. mod. &c.* mortis tamẽ causâ donationes morte demũ inciperent. *L. 22. L. 32. ff. de mort. cauſ. don.* Eo enim poſito lex Falcidia, ſubſtitutiones, jus accreſcendi, cautio Mutiana, ſimiliaq; ultimarum voluntatum effecta in his donationibus inſtar ultimarum voluntatum locum habent, ipſaque inde revocabilitas ſua ſponte ſequitur. Vid. D. Parent. *Hypomn. Inſt. ad Tit. de Donat.*

§. 13. Ex quibus omnibus apparet, quòd ea quam Grotius affert, non sit descriptio testamenti, sed donationis mortis causâ, non qualis illa est origine & jure gentium, sed qualis lege civili formata, & ultimis votatibus quodammodo comparata est, sed explosis omninò verbis, *retento jure possidendi & fruendi.*

§. 14. Sed & 5. alia ratio est, quâ infringitur descriptio testamenti Grotiana, quod testamentū sit dispositio, quæ *suâ natura* revocabilis est *L. 1. C. SS. Eccles.* non *ex reservatione adjecta*, uti alienatio Grotii: Omnes quippe ultimæ voluntates suâ naturâ, & ideò, quia ante mortē jure nullam vim habent, sed imperfectæ adhuc sunt, revocari à vivo testatore possunt; non propter legem vel pactum adjectum, quo reservatur revocatio. *arg. d. L. 32.*

§. 15. Nam aliàs 6. & omnes contractus commutatorii pactis adjectis formari ita possunt, ut suspendantur in tempus mortis & ante mortem revocari possint. Sic certum est, semper ita in tempus mortis promitti potuisse; *Cum moriar, vel, cum morieris dare spondeo. §. Ita autem 14. Inst. de Inutil. Stip. L. 45. § 1. 2. & 3. ff. Verb. oblig.* Certum quoq; est, quod pacto jus revocandi reservari possit, ut in venditione cum pacto de retrovendendo; *L. 2. C. de Pact. int. emt. & vend. L. 12. ff. de Præscript. Verb.* vel cum lege, si displicuerit inemtum esto. *L. 3. ff. Quib. mod pign. solv. L. 31. §. 22. ff. de Ædil. Edict. l. 6. ff. de rescin. vend.* Igitur talis contractus venditionis fieri potest; *Cùm moriar res tibi vendita esto 100. aureis; si displicuerit vel pœnituerit, inemta.* Talis quoq; fieri permutatio, seu do & des, vel do ut facias: nim. si ita contrahitur, *ut tum habeant cum alter moritur, &, si pœnituerit, nihil actum intelligatur.* & sic de aliis

§. 16. Atqui his omnibus contractibus quadrat descriptio Grotii, & omnibus iis fit alienatio ante mortem

tem revocabilis. Quin contractibus quoque non obstant verba illa, *retento jure possidendi, fruendique:* pactis enim id addi, eamque legem dici non pugnat; at pugnat cum ultimis voluntatibus, jam inter vivos dominium transferri, & solum jus fruendi possidendique reservari. Ergo testamentum Grotii est verissima conventio actusque inter vivos, non ultima voluntas, de qua hic quærimus.

§. 17. De his igitur dispositionibus, quibus solus testator, quid post mortem suam fieri velit, declarat; non verò de iis, quas Grotius describit, & quæ meræ conventiones actusq; inter vivos sunt, quæritur, originem ex ipso Jure Naturali, an verò ex jure saltem positivo habeant? Interpretes Juris Civilis uno ore statuunt, quoad formam testamenta esse juris positivi, quoad originem juris naturalis. Hos sequitur Grotius *d. c. 6. §. fin.* Verum id refellit Puffendorff. *d. l. 4. c. 10. §. 4. & seqq.* ubi testamenta (prout scil. ea definita jam sunt) juri naturali non convenire rectè statuit.

§. 18. Dico igitur, testamenta etiam quoad originem esse juris positivi, non quidem ejus, quod populi Romani proprium, sed quod jus gentium secundarium dicitur: & nihil quicquā participare ea de jure naturali. Quod ipsum quoq; inprimis vel ex ea, quam jam demonstravi, testamenti forma ac descriptione manifestum est; cùm enim testamentum sit dispositio solius testatoris de hereditate in alium transferenda, certum est, tale negotium legibus naturæ adhuc esse imperfectum, & proinde eo jure penitus nullum atq; invalidum. Ad negotium enim, quo jus ab uno in alterum transferendum est, naturâ requiritur, ut utriusque consensus concurrat, declaretque alter, se dare, alter se accipere velle, quam rationem quoque tangit

Puffendorf. *d.l. 4. cap. 10. §. 6. in fin.* Neq; magis invito res alia acquiri, quàm invito sua aufferri potest: sed negotium, quod inter duos de commutando jure geritur, non nisi utriusque consensu perficitur. Neque minùs est effectus dominii & libertatis naturalis, res oblatas rejicere & non acquirere, quàm suas alii offerre. Non ergo per naturam fieri ulla juris ab uno in alterum translatio potest, nisi utroq; in id consentiente. Ut Cic. *in Topic. ad Trebat. pag. m. 398.* in causa Mancini probat. *Eum deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam* (ait) *neq; deditionem, neq; donationem sine acceptione intelligi posse.*

§. 19 Jure vero id adeo constat, ut actus traditionis actum acceptionis quoq; vi verbi includat, & cùm, inter acquirendi dominii modo traditio referatur, illud tamẽ non traditionis, sed, qui ea continetur, acceptionis actu demum acquiratur. *l. 37. §. 3. ib. per traditionem accipiendo acquirit ff. de Adq. rer. dom. d. l. 37. ib. per traditionem accipere. Add. d. l. 37. §. fin. l. 10. §. 1. §. 2. ff. eod.* Unius ergo testatoris concessio absq; alterius consensu & acceptatione suâ naturâ adhuc imperfecta, nulla & inutilis erit.

§. 20. Quemadmodum omnes modi, quibus vel unius voluntate negotium sustinetur, uti pollicitatio; vel ipsa juris potestate alteri etiam non consentienti acquiritur, ut sata & ædificata in alieno solo &c. sunt meri juris positivi. De pollicitatione constat, cùm duabus tantùm ex causis jure sustineatur, sc. si reip. vel piæ causæ quis pollicitus fuerit *L. 3. §. 1. l. 8. L. 14. ff. de Pollicit.* certo argumento, regulariter pollicitationem, deficiente quippe alterius consensu, imperfectum negotium esse, & nec subsistere nec obligationem inde nasci. De satis & extructis in alieno idem statuendum est: non magis enim jure naturæ hæc justa acquirendi causa est, quàm si meæ gemmæ in tua mensa sint positæ:

fitæ : idq; eo apparet, quod dominus soli nihilominus teneatur pretium ac impensas alteri restituere. Hujus ergò jus durat, sed, cùm res ipsa restitui integra non possit, æstimatio solvitur, ut aliàs. *L. 11. C. de Rei Vind. l. 7. §. 12. ff. de Acq. rer. dom. &c.* Quî igitur testamentum ex sententia unius testatoris validum negotium & justa transferendi juris causa videri possit?

§. 21. Quocunq; autem rem vertas, nihil apparebit in testamento nisi quòd imperfectum & naturâ nullum est : nam nec testator, cùm disponit, aliquid cum herede gerit, sed solus disponit, nec heres, cùm acquirit, cum testatore aliquid gerit, qui jam non amplius in rebus humanis sed mortuus est, nihilq; agere potest: Ex neutro igitur actu jus ab uno in alterum transire potest.

§. 22. Quin testamenti ratio adeò naturæ adversatur, ut pugnam naturalem & contradictionem includat. Est enim talis dispositio, cujus vis omnis incipit demum post mortem testatoris : nam cùm hæreditas nulla sit viventis, ut jam antè confirmavi, sequitur in ultimo quo testatór vivit momento nondum cœpisse jus aliquod hæreditarium, sed demum post ultimum vitæ punctum, adeoq; testatore jam mortuo. Ergo dispositio quoq; testatoris, ex qua oritur jus hæreditarium, non incipit nisi post mortem ejus : omnis enim dispositio perfecta tùm incipit, cùm jus ex ea oritur, antè enim non est nisi tractatus & actus imperfectus : nec dispositio perfecta intelligi potest, cujus nulla vis est. Quæ verò major Naturæ pugna est, quàm jam mortuum & extinctum agere & dispositionem facere vel perficere. Atqui talem dispositionem jam vidimus esse testamentum, quam testator jam mortuus fictione juris facere videtur.

§. 23.

§. 23. Quapropter nullum tempus dari poteſt, quo jus ex teſtamento ad hæredem tranſiiſſe videatur: non vivo teſtatore, quia eo vivo hæres nec acquirit nec acquirere poteſt; nec eo mortuo, quia tum nemo concedit. Quin, non tantùm ante mortem non incipit diſpoſitio teſtamenti perfecta, ſed nec ante aditam hereditatem; cùm omnis ejus vis ab aditione hereditatis pendeat, & nec antea quicquam ex ea valeat, & eâ non factâ penitus corruat. *l. 1. in fin. ff. de Injuſt. rupt. irr.* Igitur & tum, cum hæres adit, quod usq; ad triceſimum à morte annum fieri poteſt, teſtator adhuc diſponere, & hereditatem transferre intelligendus eſt. Quod cùm per naturam fieri & intelligi nequeat, fictionibus juris efficitur; prout id quoq; perpendit Puffendorf. *dict. loc.*

§. 24. Et ſanè ita eſt; tota teſtamenti ratio, prout non tantùm jure Romano formata, ſed & inter gentes ab omni memoria recepta eſt, meris juris poſitivi fictionibus abſolvitur & ſuſtinetur. Primum enim fictione juris momentū teſtamenti cum momento mortis jungitur, & ultima voluntas cum ultimo vitæ halitu expoſita intelligitur: *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* deinde momentum quoq; aditæ hereditatis retrotrahitur ad momentū mortis. *l. 54. ff. de Adq. vel am. hered. L. 193. ff. de Reg. Jur.*

§. 25. Hæc igitur tria tempora, teſtamenti, mortis & aditiones, naturaliter inter ſe diſtincta, fictione juris ita junguntur atq; pro uno eodemq; tempore habentur, ut & teſtator eodem mortis momento bona ſua, prout lubet, heredi conceſſiſſe, & hic ab eo accepiſſe fingantur: quæ & cauſa eſt, cur tribus his temporibus inſpiciatur habilitas heredis, nec media tempora noceant. *l. 49. §. 1. ff. Hered. Inſtit. §. 4. Inſt. de Hered. qual.* Quæ cùm ſint commenta juris poſitivi contra naturæ verita-

veritatem conficta; absque his fictionibus autem non possit per naturam ex testamento fieri translatio juris, sequitur omninò testamenta esse commenta juris positivi Gentium.

§. 26. Quale etiam est, quòd hereditas ante aditionem heredis, ne videatur esse nullius, fingitur adhuc esse defuncti, ejusque personam repræsentare dicitur. *§. 2. Instit. de Hered. Instit. L. 31. §. f. ff. eod. L. 34. ff. de Acq. rer. dom.* cùm jure naturali bona, quæ nec defuncti ampliùs sunt, nec heredis qui nondum adiit, nullius forent, & ideò occupanti vel Fisco cederent: *§. 13. Inst. de Rer. divis.* & sic ab herede postea adiri ampliùs non possent. Quomodo & heres deinde dicitur repræsentare personam defuncti, ut jura & onera personæ in eum quoque transire possint, si non sint morte extincta. *L. 59. ff. de Reg. Jur.*

§. 27. Quin, adverte animum, & fateberis jure quoque civili testamentum, licet solennissimum, haberi pro negotio imperfecto & inutili, & unicè tantùm ad eum effectum sustineri, ut heres post mortem quoque testatoris acceptando & adeundo perficere negotium possit, quod alias per naturam non posset; in cæteris verò omnibus censeri pro negotio invalido. Quod multis argumentis ostendi potest.

§. 28. Nam hoc primùm inde constat, quia testamentum suâ naturâ est talis dispositio, quam testator semper revocare, & ab ea recedere potest. Si verò jam perfecta esset dispositio, jus inde natum quæsitumq; jam esset, quod testator aufferre ampliùs non posset; ex generali justitiæ regula, *jus suum cuique tribui debere.*

§. 29. Deinde, heres etiam mortuo testatore regulariter non transmittit hereditatem non aditam. *L. 7. C. de Jur. delib. l. un. §. 5. in fin. C. de Caduc. toll.* At si dis-

poſitio jam valeret, adeoq; ex ea jus natum eſſet, id utiq; jus ad heredes tranſiret, quippe qui ſuccedit in omne jus defuncti. *l. 62.ff. de Reg. Jur.* Sequitur ergo, teſtamentum, ex quo nullum jus adhuc natum eſt, esſe negotium imperfectum & invalidum.

§. 30. Quin & porro, ſi teſtamentum legibus haberetur pro diſpoſitione valida, nec heredibus vivo teſtatore præmortuis deficerent inſtitutiones, ſed jus ex valida diſpoſitione ſemel natum necesſario tranſiret ad heredes.*d l.62.*Deniq; argumēto eſt evidentisſimo, quia aditione heredis non ſecuta nihil ex toto teſtamento valet, ſed perinde ab inteſtato ſucceditur, ac ſi nullum teſtamentum factum fuisſet.*princ Inſt. de Hered. qua ab inteſt.L. 20.princ. ff. de Bon. poſſ. contr. tab.L 1. ff. Injuſt rupt. teſt.* Ut adeò certum ſit, teſtamentum Jure Civili quoq; pro diſpoſitione imperfecta & invalida haberi, & tantum ſuſtineri ad hoc, ut heres eam, licet teſtator defunctꝰ jā ſit, acceptando & adeundo perficere posſit.

§. 31. Inde eſt. quod olim tam operoſe JCti moliti fuerint modum aliquem quo valide transferre hereditatem teſtator posſet : ideo enim in ſcenam produxerunt familiæ emtorem, cui vivus teſtator imaginario ritu venderet, atq; is demum ex lege contractæ fiduciæ poſt mortem teſtatoris, & quidem ipſe vivꝰ vivo redderet.*§. 1 Inſt. de Teſtam. Ord.* & ibi poſt Dd. Hottom. Bachov. Vinn *n. 3 &c.* Ulpian.*tit. 20. §. 5.* Unde apparet, quàm ſollicite illi hoc naturæ requiſitum obſervaverint, ut negotium de transferendis bonis fieret utriusq; viventis conſenſu.

§. 32. Videamus jam quam fragilia ſint argumenta Grotii *d. l. 2. c. 6 §. fin.* quibus hanc ſuam ſententiam firmare conatur. Primum enim allegat, teſtamentorum ſubſtantiam eſſe cognatam dominio, & eo dato juris

juris naturalis. Equidem ambigua nimiùm ſunt illa verba, *ſubſtantiam eſſe cognatam dominio*. quæ quid ſibi velint, nec ipſe eorum Autor fortè dixerit: Neque videri poteſt percepiſſe rem, quam exprimit verbis adeò nihil definientibus. Quæ enim jura rerum non ſunt cognata dominio?

§. 33. Minùs etiam apparet inferendi ratio: non enim de dominio ipſo, ſed de modo ejus in alium transferendi per teſtamentum quæritur, validus ille ſit nec ne? Nec ſanè quoquo modo agitur de transferendo dominio, id juris naturalis eſt, ſed ſi juſto & eo jure valido; qualis non eſt teſtamentum. De eo ipſo itaq; quæritur, an diſpoſitio unius ſit juſtus transferendi dominii modus? Quod negatur. Uſucapio quoq; eſt modus transferendi dominii, ſed juris poſitivi. *l. 1. ff. de Uſurp. & Uſuc.* Et licèt dominio contineatur facultas diſponendi, quæ poſt mortem quoque duret, requiritur tamen diſpoſitio habilis & valida, qualis in transferendo dominio non eſt diſpoſitio unius.

§. 34. Utitur quidem D. Puffend. *d. l. 4. c. 10. §. 4.* eo quoq; argumento, quòd veteres ſoliti ſint ſuos jurej. ad ultima mandata obſervanda adſtringere quaſi nullo humano vinculo ſatis valido. *Gen. c. 24. v. 23. c. 47. v. 29. cap. 50. v. 25.* Verum hæc tum non eſt unius diſpoſitio & ultima voluntas, ſed conventio inter vivos, qua alter alteri pacto jurato quid promittit; ex quo pacto, etiam injurato, obligari equidem promiſſorem, nemo dubitat. Tale quoq; eſt quod ex Sophocle, *in Trachin. circa f.* De Hercule idē allegat, qui filio ſuo majori Hyllo mandavit, ut pyram, cui impoſitus eſſet, ipſe Hyllus accenderet, & Jolen uxorem duceret: quod Hyllus juratò promiſit. Item, quod ex Zonara allegat de Eudoxia, quæ marito Conſtantino Ducæ juravit, ſe non

 tran-

tranſituram ad ſecundas nuptias &c. quæ nihil huc faciunt.

§. 35. Alterum Grotii argumentum eſt, quòd teſtamentorum uſus aliis quoq; Gentibus communis ſit, & antiquiſſimis temporibus fuerit, cujus rei plurima paſſim cumulantur exempla. Reſp. Inde tantùm ſequitur eſſe ejus juris quod pluribus Gentibus commune eſt, ſeu Juris Gentium ſecundarii, quod conceſſimus, non verò primarii ſeu naturalis. Apud pleraſq; enim Gentes obtinuit aliquis teſtandi uſus etiam apud Judæos, ut docet Selden. *de Succeſſ. in bon. c. 24. & de Jur. Gent. lib. 6. c. 5. in fin.* & alias gentes, veluti exempla & formulas ſupra adduximus. Et Tacit. *de Mor. Germ. cap. 20.* ut ſingulare quid refert teſtamentorū uſū Germanis nullū eſſe.

§. 36. Præterea, cùm in Diſputat. *de Juſtit. Bell. & Pac. in Stat. Regn. Portug. Præſide Dn. Parente Heidelbergæ olim habita*, hæc quoq; quæſtio & ſententia obiter relata eſſet, Vir quidam Celeberr. quædam iis opponenda putavit. Verba ejus hæc ſunt. *Quibus reponimus (1.) Niſi recepta ſententia admittatur, nullam etiam fore ſucceſſionem ab inteſtato, cùm & hujus fundamentum in voluntatis conjectura collocari ſoleat.* Reſp. Hoc ipſum planè negatur, ſucceſſionem naturalem eſſe ex conjectura voluntatis: Inprimis verò conjecturæ, quibus eam conſtituit Grotius *d. tract. lib. 2. cap. 7. §. 3.* adeò ſunt inanes, & meræ potius divinationes, quin & adeò falſæ, ut nihil minùs quàm jus certum naturæ inde inferatur: Quibus ſi uti liceat, & ita quod lubet ponere, vix fingi poterit jus tam civile, imò abſurdum quoq;, quin pro jure naturali id venditari, atque hoc in infinitum variari poſſit. Rejicimus igitur penitus à principiis juris naturæ meras conjecturas, & inprimis adeò futiles; ut ſunt illæ, ex quibus *d. §. 3.* ſucceſſio ab in-

ab inteſtato ducitur. Id enim non eſt jus Naturæ exponere, nedum demonſtrare, ſed hariolari, & Haruſpicem magis quàm JCtum agere. Quin cum ne expreſſa quidem & certa defuncti voluntas ſufficiat ad conſtituendam ſucceſſionem, ut jam probatum fuit, quî mera tacitæ voluntatis conjectura ſufficeret. Aliunde ergò arcesſenda eſt ſucceſſio naturalis, & aliter longè demonſtranda. Poſtquam autem certus ſuccedendi ordo ab inteſtato conſtitutus eſt, rectè dicitur defunctum hoc ipſo hereditatem tacitè relinquere, dum eam non auffert. *l. 8. §. 1. ff. de Jur. Codicill.*

§. 37. Pergit verò Vir Celeberrimus & reponit (2.) *Aliud eſſe mortuo diſponente diſpoſitionem incipere, aliud eo moriente. In teſtamento non prius fieri, ſed poſterius: momentum autem moriendi vitæ tribui. l. 18. §. 1 ff. man. teſtam.* Gell. *noct. artic. 13.* & *teſtatorem ideò in ipſo articulo mortis res ſuas heredibus quaſi tradere.* Reſp. Imò contra: Cùm hæreditas nulla ſit viventis, ſequitur, quod nec dum inceperit jus ejus in momento, quod vitæ tribuitur, ſed eo lapſo. Et teſtamentum eſt diſpoſitio, quâ exponitur non quid moriente, ſed quid mortuo teſtatore fieri debeat. *l. 1. ib. poſt mortem ſuam fieri. ff. Qui teſt. fac.* Jus ergò & vis ejus eo demum mortuo incipit, non moriente. Sed & ponamus, quòd in momento, quo moritur & adhuc vivere intelligitur, videatur res ſuas tradere heredi. Atqui hoc ipſum eſt commentum juris poſitivi non Naturæ veritas. In puncto enim, quo moritur, ſpiritumque exhalat, per naturam non poteſt ampliùs diſponere, & res heredi, qui ne quidem adeſt, tradere. Hæc igitur non fiunt, ſed fieri finguntur Lege Civili. Imò ne poſt mortem quidem vis incipit, ſed aditione demum ſecuta; tunc perficitur, ante imperfectum adhuc eſt; & proinde tunc imprimis

 trade-

tradere testator res suas hæredi videtur cùm ille accipit. Quæ figmenta nemo, opinor, tribuet Naturæ.

§. 38. Tertium, quod reponit Vir Celeb. tale est: *Ut acceptatio ab herede in continenti fiat, non esse necessarium: nihil enim vetare, quo minùs ea ex intervallo sequatur, modò alter interea non possit pœnitere.* Verùm quis unquam dixit acceptationem in continenti fieri debere? Potest omninò ex intervallo fieri, sed post mortem non potest. Hoc rationi adversatur, ut negotium, quo inter duos fit translatio juris, altero jam mortuo fiat ac perficiatur. Cùm enim omne negotium illo momento ab utroque gestum dicatur, quo perficitur, antè enim nudi tractatus sunt, qui nihil valent, nisi quatenus in illo momento adhuc durat voluntas utriusque, hinc naturalis utique pugna est, à mortuo quid gestum fuisse, & mortuum tum adhuc voluisse. Unde & illud gratis dicitur, *modò pœnitere non possit.* Nam semper pars pœnitere potest, usque ad acceptationem seu consensum alterius: quia eo usque negotium manet imperfectum & nudus tractatus, unde nulla vis & obligatio oritur.

§. 39. Postquam nunc liquet Testamenta etiam quoad originem Juris positivi esse, vix refelli meretur quod Grot. *d. l. 2. c. 6. in fin.* tradit, ideò exteris olim testamenti factionem non fuisse concessam, quasi pro hostibus fuerint habiti: Quid enim hoc prætextu in peregrinos statui non potuisset? Causam igitur id hanc habuit: quòd testamenta, cùm non essent juris naturalis sed arbitrarii, non valuerunt in iis locis, nisi cum certa solennium observatione facta fuissent: Hæc verò forma cùm sit meri juris civilis, proprium illud est civium, non verò commune peregrinis. Uti ergò contractus juris civilis, v. g. stipulationes &c. etsi origine sint

ne ſint juris Gentium primarii peregrinis tamen non ſunt communes cum civibus, ita multo minus teſtamenta, quæ ne origine quidem ſunt juris Gentium primarii.

§ 40. Ex ea, quæ hactenus expoſita eſt, teſtamentorum ratione, evidenter jam apparet, quàm longè à vero aberrent illi, qui ex teſtamento, invalido naſci tamen obligationem in conſcientia autumant: in quo errore quoque videtur fuiſſe Plinius allegatus à Puffendorf. *d. tract. l. 4. c. 10. §. 8.* Id vero plane ſecus & pernegandum eſt. Cùm enim teſtamentum ſeu diſpoſitio unius jure naturali ſit negotium invalidum & imperfectum, eo jure non poteſt inde ulla naſci obligatio, quippe qvæ nunquam oritur niſi ex negotio valido & perfecto. Jure civili vero teſtamentum tale, in quo ſolennium obſervatio aliqua deficit, itidem penitus nullum ac inutile eſt. Igitur ex teſtamento invalido nec jure naturali ulla oritur obligatio, quia eo jure nõ datur teſtamenta; jure civili vero adeo requirunt ea certã formam ac ſolennia, ut ſi aliquid deficiat nulla inde obligatio oriatur, nihilq; ex eo valeat. *§. pen. Inſt. Quib. mod. teſt. inf.* Licet vero etiam jure naturali teſtamenta ſubſiſterent, ex quo tamen iis lege civili detracta eſt vis omnis, niſi ſolennia ritè adhibita fuerint, lex illa civilis conſcientiam quoque conſtituit, ut in ea omnino tutus ſit, qui jure legibus ſibi conceſſo utitur. Idq; jure cõmuni nullum dubium habet, quippe quod illud, quo ex tali teſtamento per errorem ſolutum eſt, repeti tanquam naturâ quoque indebitum, poteſt. *L. 7. C. de Cond. in deb. l. 68. in fin ff ad SCt. Treb. L. 9. C. ad L. Falcid arg. L. ? C. eod. L. 2. voc comperta. C. de Fideic. junct. l. 9. pr. C. de Cond. indeb.* quod non poſſet ſi ſaltem naturaliter & in conſcientia debitum eſſet. *l. 26. §. 12. l. 41. ff. eod.* Et hanc ſententiam in

praxi:

praxi forensi observari post alios testatur D. Struv. *Synt. Jur. Civ. Exercit. 32. th. 16.* ubi prolixè causam hanc persequitur. Id verò, quod Puffend. *d. l. §. 7.* addit, omnibus quorum interest silentibus & nemine adeò contradicente, heredem scriptum bona retinere posse, aliud est, & neque huc pertinet neque dubium continet.

§. 41. Quanquam verò non improbemus, quod Puffend. *d. l. §. 8.* monet, generositatis aliquod argumentum esse, si heres ultrò impleat voluntatem defuncti etsi imperfectam; nam utique is liberalitatem exercet & laudandus est: non tamen excusari Plinius potuisset, si ille tali jus dixisset aliis: optimè enim JCtus *in l. 12. §. 3. in fin. ff. de Adm. tut. Etsi honestè, tamen ex liberalitate fit, quæ servanda arbitrio heredis est.* Verùm Plinius in omnibus illis casibus, *lib. 2. epist. 16. lib. 4. ep. 10. & lib. 5. ep. 7.* ipse heres institutus erat, sibique non aliis eam legem dixerat, ut ultimas voluntates defunctorum, etsi jure irritas, custodiret: quod magni fuit animi, & ejus, cujus, ut Persii *Satyr. 2. in fin.* verbis utar:

Incoctum est generoso pectus honesto.

Ad ullam verò obligationis necessitatem id trahi nullo modo potest.

§. 42 Inde quoque sequitur decisio quæstionis, An Princeps libertatem testandi subjectis sibi aufferre possit? Cùm enim testamenta sint juris positivi, hoc à summo Principe mutari & tolli posse, controversiâ caret. Diss. Berlich. *P. 3. Concl 9. c. 12.* Nec Obst. quòd ne quidem per conventionem impediri illa possit; *L. 15. C. de Pact.* Id enim non ideò est, quasi jure naturali jus testandi competat, sed quia testamenta juris publici sunt. *L. 4. ff. Qui test. fac.* quod pactis privatorum mutari nequit. *L. 27. §. 4. ff. de Pact.* Magis Obst. *L. 43. in pr. vers. etenim iniquum ff. de Vulg. & pup. subst.* Verùm Resp. Quæstio

ibi

ibi non eſt de poteſtate; an ſcil. Princeps, qui patri beneficium conceſſit ſubſtituendi filio furioſo, (quod tum jure communi receptum nondum erat) videatur voluiſſe id beneficium valere, etſi filius convaluerit? Quod negatur, quia in dubio beneficia Principis intelligenda ita ſunt ne tendant in præjudicium tertii, niſi de alia ejus voluntate conſtet. *L. 2. §. 16. ff. Ne quid in loc. publ.* Si inſtes: Dici in *d. l. 43. princ.* Iniquum eſſe, teſtamenti factionem auferri homini ſanæ mentis. Reſp. Iniquitatem eam non eſſe contra jus naturale, ſed civile, quod tollere Princeps poteſt, ſed in dubio non præſumitur velle. *d. §. 16.*

§. 43. Quod verò ſpectat donationes mortis causâ, puto eas omni jure Naturali & gentium planè validas eſſe & ſubſiſtere: illæ enim, ut antea jam demonſtratum fuit, ſunt actus inter vivos, & fiunt per conventionem utriusq; partis viventis perfectæ. Illo igitur genere uſi jam olim ſunt Principes, uti in notisſima illa ſpecie donationis inter Telemachum & Piræum, comitem ipſius initæ, quæ ex Homeri Odysſ. P. *verſ. 78.* refertur in *§. 1. Inſt. de Donat.* & veneratione Homeri normam quaſi donationi huic dedit. Simile exemplum allegat Vinn. *in d. §. 1. in fin. de Donat.* ex *Euripidis Alceſtide*, ubi Hercules ancillam ea lege donat, ut, ſi in conflictu occumbat, donatarius ſibi eam habeat; ſi reverſus fuerit, ipſe recipiat.

§. 44. Talis igitur donatio ſtatim perfecta eſt, unde nec ſuâ naturâ revocari poteſt, ſed revocatio fit ex pacto expreſſo, ut in eventum ipſe recipiat: quod proinde addendum omninò eſt. *l. 42. §. f. ff. de Mort. cauſ.* Ait quidem Juſtin. *in §. 1. Inſt. de Donat.* ambiguum fuiſſe de veteribus prudentibus, donationis an legati inſtar obtinere debeat. Verùm de forma negotii

dubium esse non potuit, cùm certum sit, non esse legatum; quod sit utriusq; consensu inter vivos sed de effectu revocationis quæsitum forte fuit, anne illa ad instar ultimarum voluntatum, quasi negotio nondum perfecto fieri posset? Et quanquam certum est, revocationem vi pacti adjecti fieri, tamen usu potius obtinuit jam ante Justinianum, ut effectu legatis compararetur. *d. §. 1.* Quod jam supra traditum est. *§. 11.* Cui consequens est, ut donatio quoq; isthæc non videatur perfecta nisi tempore mortis. *l. 32. ff. de M. C. don.*

PARS II. Specialis.

De Testamentis Principum.

SUMMARIA.

§. 1. Continuatio. & conspectus variorum casuum circa testamenta Principum.

2. Tractatur casus, quo duo summi Principes alter alterum instituunt; excluso alio, qui cum summa potestate est.

3. Respondetur exemplis, quæ in contrarium allegantur.

4. Quid si exclusus hoc testamento sit privatus ab intestato successurus.

5. Alter casus de testamento inter summum Principem ejusq; civem.

6. Tertius, de testamento inter summum Principem & extraneum privatum.

7. Donationem mortis causâ inter Principes semper fieri posse, etsi testamentum non possit.

8. Applicatio ad Testamenta Statuum Imperii.

9. Arguitur sententia Limn. testamenta hæc salvari per clausulam, ut valeant jure militari.

10. An Apanagiati sine solennibus testari possint? Neg. *contra Myl.*

11. An Augusta, seu Principis uxor possit?

12. An Principes testamentis liberos

beros exheredare vel præterire possint.
13. *An filius ob gravem injuriam pro exheredato habendus? Neg. contra Grot.*
14. *De testamento falso.*
15. *Quæstiones quædam remissivè.*
16. *An & quat. Princeps de Principatu testari possit.*
17. *Resolvuntur dubia.*
18. *De Principis judicio ratione successoris.*

§. I.

His satis ita ex jure Naturæ, quod solum inter summos Principes obtinet, demonstratis, jam porrò videndum, an & quousque testamenta inter Principes vim effectumque habere possint. Ubi inprimis distinguendi sunt casus varii: Vel enim quæritur de testamneti factione activa, quà Princeps heredem facit; vel de testamenti factione passiva, quà ipse testamento heres scribitur. Utroque casu vel inter duos Principes, quorum alter alterum instituit; vel inter Principem & subditum, si ille hunc, aut hic illum heredem fecerit; vel denique inter Principem & extraneum privatum, si pariter alter alteri quid reliquerit, causa vertitur. Denique is, qui ab intestato successurus erat, & testamento exclusus est, vel Princeps est cum libera potestate, vel privatus. In quibus singulis videndum, quid juris.

§. 2. Primus igitur casus est, cùm inter Principes, qui invicem instituerunt, vel aliquid reliquerunt, res agitur. Et quidem, si veram juris gentium rationem respicimus, testamenta hæc nullam vim habebunt: cùm enim summi Principes solo jure Naturæ reguntur, quo nullum est testamentorum vestigium, ut part. 1. ostensum fuit, ex dispositione, quæ jure non subsistit, nullum jus nec ulla obligatio oriri potest. Non igitur dubitandum existimo, si is qui testamento exclu-

 sus

ſus eſt cum ſumma poteſtate ſit, eum non teneri ex iſto teſtamento, ſed hoc non obſtante jus ſuum perſequi poſſe. Certè vix unquam ſatis tuta fuit ſucceſſio ex teſtamento, quoties ſucceſſor poteſtatem habuit jus ſuum perſequendi: quod exemplo Ludovici I. Imp. apparet, cujus diſpoſitio inter filios planè inanes fuit. Alia exempla teſtamentorum à Principibus fruſtra conditorum affert Grot. *de J. B. & P. lib.* 1. *§.* 13. *in not.* Unde Principes Principatum aliis relicturi, quaſi teſtamento non confiſi, aliunde ferè præſidiū quæſivere. David, qui filio Salomoni regnum deſtinaverat vivus eum regem fecit. 1. *Reg.* 1. Uti & Philippus Rex Macedoniæ, cùm excluſo Perſeo Antigonum regem fieri vellet, vivus in regnum eum aſſumit. Liv. *lib.* 40. *cap.* 56. Alii curârunt, ut autoritate populi vel Procerum teſtamenta corroborarentur; uti ipſe Carolus M. ceu ex Adone tradit Grot. *d. §.* 13. Ita inane viſum fuit teſtamentum Regis Scotiæ, qui morte impeditus fuerat, ne accederet confirmatio Ordinum. Buchan. *Rer. Scot l.* 15. *ferè in princ.* Alii potentes executores conſtituunt, uti Ptolomæus, Rex Ægypti, Romanos, cum maximis obſecrationibus, ut teſtamenti tenorem tuerentur. Cæſ. *de Bell. Civ. lib.* 3. *cap.* 20.

§. 3. Neque movere debet, quòd innumera Principum teſtamenta paſſim in annalibus recenſeantur, prout longo agmine ea recenſet Grot. *d. lib.* 1. *cap.* 3. *§.* 12. *ubi in Not.* Duo enim reponenda ſunt. (1.) Quòd illa vim commendationis magis apud populum habuerint; uti ait Grot. *d. c.* 3. *§.* 13. & vel defuncti voluntati propter merita, & memoriæ verecundiam, vel alias ob cauſas ultrò delatum, quandoque & vi actum, vel metu violentiæ nihil contradictum fuerit. (2.) Quòd in quibusdam regnis teſtamenti jus in Principe quoque

receptum

receptum fuerit, uti in plerisque regnis Orientis: quo titulo Pergameni, Bithyniæ, aliaque potentisſima regna cesſisſe Romanis notum eſt. Etſi verò teſtamenta juris gentium ſecundarii ſint, ſummos Principes tamen eo non teneri, jam antè dictum eſt. Add. Val. Max. *lib. 5. c. 2. in fin.*

§. 4. Secus verò eſt, ſi heres ab inteſtato privatus ſit, adeòque ut legibus civilibus & poſitivis, ita & teſtamentorum jure obligetur. Etſi enim adhuc videatur, inter ſummos Principes, qui ſolo jure gentium primario utuntur, teſtamenta locum non habere; tamen conſiderandum eſt; quòd Principes etſi legibus ſoluti ſint, ultrò legibus vivant: *§. pen. Inſt. Quib. mod teſt.* unde, quando teſtamentũ in ea cauſa eſt, ut à ſola duorum Principũ voluntate pendeat, nec alius, v. g. excluſus, contradicere ei queat, ſuſtineri teſtamentum poterit: nam ut Principes legib9, quas aliis fert, ipſe quoq; ſe ſubjicit; ita & beneficiis legũ, quæ ſubditis permittit, ipſe quoque ſi velit, uti poteſt; inprimis, ſi beneficia juris gentium ſint, uti eſt uſus teſtamentorum. Nec heres legitimus qui privatus eſt, contradicere poteſt, quia ille jure civili tenetur; quod ſecus erat in caſu ſuperiore, quo heres legitimus cum ſumma poteſtate, adeoque legibus teſtamentorum poſitivis neutiquam obſtrictus fuit, ſed jure ſuo iis contradicere potuit.

§. 5. Alter caſus eſt, cùm negotium geritur inter ſummum Principem ejusque civem. Et, cùm Princeps ipſe quoq; beneficio civibus ſuis conceſſo uti, ceu dictum eſt, posſit, conſtat teſtamentum, ſi civis Principem inſtituit, indiſtinctè valere, etiam ſi neceſſariis ſolennitatibus deſtitutum ſit; quia hæ ſunt meri juris civilis, quo Princeps inſtitutus non obligatur, ſed in aliorum quoque teſtamentis omnes ſolennitates ſuâ

præſentiâ ſupplet. *l. 19. princ. C. de Teſtam.* Cùm verò generoſi Principis ſit, leges, quas civibus dedit, ipſum quoque ſervare, ultrò repudiat ille teſtamenta non ritè facta, *§. fin. Inſt. Quib. mod. teſt. inf.* ut leges ſuas exemplo magis quàm verbis inculcet: nam

Sic exempla juvant, & ſic cenſura paratur,
Cum judex alios quod monet ipſe facit.

Vita Principis, ut Plin. *in Paneg. ad Trajan.* ait, *cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur.* Uti econtrariò, *Vitioſi Principes plus exemplo nocent reip. quàm peccato*, ut ait Cic. *lib. 1. de Legib.* Et hoc tamen quoque caſu, ſi heres legitimus teſtamento excluſus cum ſumma poteſtate ſit, non tenetur ei voluntate ſtare, per ea, quæ §. præc. tradita ſunt.

§. 6. Unde facilè intelligitur, quid ſtatuendum in tertio caſu, ubi res inter Principem & extraneum privatum agitur. Sive enim princeps heredem ſcripſerit, ſive ſcriptus fuerit, teſtamentum ex prædictis cauſis, etſi ſit juris poſitivi, valet. Verùm hic neceſſe eſt, ut teſtamentum ritè & juxta leges factum fieri; niſi & ille, qui eo excluſus eſt, & res, de quibus agitur, ſub poteſtate illius Principis ſint. Quia Princeps ſupplet ſaltem ſolennia in ſuis terris, ubi diſponere de jure ſuo poſitivo poteſt, non autem in alieno territorio, ubi pro privato habetur *l. 3. ff. de Off Præſ.* Nec officit, quòd in teſtamenti inſpiciantur ſtatuta loci, ubi fit: vid. Venerand. D. Par. *Diſp. de Feud. in territ. pot. tit. 7. §. 3. & ſeqq.* Nam hic caſum fingimus, ubi juxta ſtatuta loci factum non fuit, ſed illa neglecta ſunt: quem defectum non poteſt ſupplere perſona Principis reſpectu eorum, quæ extra ejus Principatûs vel territorii fines ſunt.

§. 7. Cœterùm, quod dixi, ſummum Principem, qui teſtamento à jure ſuo inteſtati excluſus eſt, non obligari ex

ri ex ultima voluntate, ſed ei contradicere poſſe, id ſecus eſt, ſi diſpoſitio per donationem mortis cauſâ, vel ſimilem actum utriusq; conſenſu conſtantem perfecta fuerit; ea enim cùm jure gentium ſubſiſtat, & cæteris paribus jus faciat, is qui ab inteſtato ſucceſſurus erat per eam ritè excluſus intelligitur. Ex quibus reliqua quoq; quæ latè tractari de hac materia poſſent, ſponte fluunt; Quare, ut inſtitutum teneam, reliqua per indicem ſaltem delibabo.

§. 8. Ex dictis igitur ſequitur valere omninò teſtamenta Statuum Imperii, etſi ſolennia non fuerint obſervata; modò inter ipſos & cives eorum res agatur, cùm vi ſuperioritatis ſuæ territorialis & propriæ poteſtatis ea jura habeant in ſuo demum territorio, quæ Imp. in Imperio. Atq; ita teſtamentum Caroli Auſtriaci, etſi teſtibus deſtitutum, tamen valuiſſe, & ita judicatum fuiſſe refert Myl. *de Stat. Imp. c. 26. §. 5.* Secus eſt, ſi inter duos Status quæſtio teſtamenti vertitur: id enim ſine forma juris ſubſiſtere nequit, quia Status reſpectu Imperii habentur pro ſubjectis: Idem verum eſt, quotiescunq; effectus negotii extra territorii fines extenditur. Vid. D. Par. *J. P. Prud. c. 29. §. 2.* Neq; Obſt. regula illa, Quod ſemel ritè ſecundum leges loci geſtum eſt, illud ubiq; valere. Vinn. *L. 2. quæſt. 19.* Nam hîc quoq;, ut ſupra dictum, loquimur de teſtamento, quod ſecundum leges loci confectum non eſt, ſed ſolennibus ibi requiſitis caret. Atque hanc ſententiam probat, & teſtamēta ſe vidiſſe plurima, ſed ea vel ſolennia, vel de iis tranſactum fuiſſe refert Roſenthal. *de Feud. cap. 12. concl. 10. n. 15, 16, 17, 18.* Et huic diſtinctioni congruit quod teſtatur Reink. *de Reg. Stat. lib. 1. claſſ. 4 c. 1. n. 36. & ſeqq.* teſtamenta talia ſæpè ab agnatis, non à liberis fuiſſe impugnata: illi enim plerumque pro-

prio

prio jure territorii utuntur, hi ſub poteſtate ſunt: illi in feudis non tenentur factum defuncti præſtare, hi tenentur. *2.F.45.& 51.§. filius.* Add. Beſold. *lib.1.Diſſ.nomicopol.de Succeſſ.reg.Diſſ.2.n.11.* qui tutius ſaltem eſſe dicit, ſolennia in teſtamentis Statuum adhiberi.

§. 9. Neq; hic privilegia teſtamenti militaris applicari poſſunt, ut putat Limn. *de Jur.publ.lib.4.cap.8. n.178.* Privilegium enim militare á lege, non ab arbitrio & clauſulis teſtatorum pendet; qui non poſſunt clauſulis efficere, ne leges in teſtamento ſuo locum habeant. *L.55.ff.de Legat.1.* Nec ipſis militibus id competit niſi in teſtamento quod in expeditione factum eſt. Neq; obſtat, quòd clauſulæ hæ pactis confraternitatum addi ſoleant, *ut valeant jure publico, militari, vel quo alio valere poſſunt &c.* Nam aliud eſt in pactis, quæ jure gentium valent prout conventum eſt: ſed ultimis voluntatibus à legibus forma data eſt.

§. 10. Sed anne liberi quoque Principum & Principes Appanagiati, ſine ſolennibus teſtari poſſunt? Quod negandum *arg.L.31.ff.LL.§.f.Inſt.Quib.Mod.teſtam.infirm.* etſi Myl. *de Stat.Imp.c.26.th.6.& ſeqq.* contrarium ſentiat ex ea ratione, quòd beneficium hoc Illuſtriſſimæ dignitati tributum ſit; *arg L.19.Stat.hom.* Apanagiati verò etiam dicantur Principes; argumentum autem à nomine duci poſſe. *L.6.C.de Codicill.* Sed nec textus quicquã huc faciunt, nec ratio. Privilegiũ enim hoc non dignitati, ſed ſuperioritati territorii cohæret, quâ qui utuntur legibus civilibus in ſuis terris ſoluti ſunt Apanagiati autem iis ſoluti non ſunt, ſed ſub poteſtate Primogeniti; adeoq; dignitate tantùm & honore, non poteſtate Principes ſunt, etſi ita dicantur. Rectius Sen. *de Benef.l.2.c.34.in fin.* dicit: *Unum utriq; nomen eſt: vis quidem ac poteſtas longè alia.*

§. 11. De

§. 11. De Augusta quoque dubitari posset; An & ipsa sine solennibus possit testamentum facere, cum nec illa summæ potestatis vel superioritatis jura habeat. Verùm, etsi Augusta jure proprio hæc sibi privilegia vindicare non possit, tamen quoad actus privatos participat illa de juribus & privilegiis mariti. *l. 31. ff. LL. & L. 6. §. 1. de Jur. Fisc.* Neq; Obst *l. 19. C. de Testam.* ubi insinuatio testamenti non nisi Principi fieri potest. Non igitur Augustæ. Resp. Hoc ideò, quia insinuatio est actus publicus & habetur ac si actis publicis facta fuisset: Ut adeò ea pertineat ad ipsum exercitium summæ potestatis, quæ non cadit in Augustam. Ratio verò Myl. *d. c. 26. th. 9. ne individuitas matrimonii per inæqualitatem jurium perturbetur*, iterum indigna nimis est responsione, & JCto.

§. 12. Postquam vidimus quat. Principes testamenta facere possint, porrò quæstio est; Num & filios suos, ne in Principatu succedant (nam in bonis propriis privatorum jure utuntur) possint exheredare? Grot. *lib. 2. c. 7. §. 25.* distinguit primùm inter regna alienabili & non alienabilia, in illis haut dubiè exhæredationem procedere, nec illa à reliquis bonis differre existimat. Et verum quidem est, quòd ad hoc, ut per exhæredationem Principatus aufferri filiis possit, requiratur, ut alienari possit, quia non potest à filiis in alios transferri, quòd planè alienari nequit. Verùm ex facultate illa alienandi non illicò sequitur jus exheredandi. Quin imò, cùm regna & Principatus solo jure gentium æstimentur, testamenta autem, quibus exhæredationes fiunt, sint juris positivi, ut *part. 1.* probatum fuit, dicendum est, regna & Principatus exhæredationem non admittere etiam tùm, cùm alienationem inter vivos admittunt; tantum abest, ut verum sit quod Grotius ait, *in*

alienabilibus regnis dubium non esse, quin exhæredatio procedat. Et quamvis ante dictum fuerit, quòd Principes beneficio testamentorum, quod aliis permittunt, ipsi quoque uti possint; tamen & hoc monitum fuit, eum, in cujus præjudicium testamentum tendit, si & ipse sui juris sit, nec juribus positivis teneatur, contradicere posse; cùm jus ipsius successionis per modum meri juris positivi excludi non possit. Tales autem sunt regum liberi, qui post mortem Parentum ab intestato successores sunt, & ut tales de regno contendunt: quales contentiones frequentes in Merovingorũ & Carolingorum familiis fuêre. Denique cùm liberis jure naturali debeatur hereditas parentum, id est, quod tempore mortis relictum est; hinc ante mortem facilius quid inter vivos alienari, quàm post mortem exheredatione (cujus vim post mortem demum incipere supra vidimus) aufferri potest; ut neque sic argumentum Grotii procedat. Accedit quod regna regulariter non sint alienabilia; nam cùm verbo illo significetur suâ naturâ imperium uni9, quod non hæreditaria sed lineali succesfione propagatur, in hac alienatione exheredationẽ fieri non posse ipse Grotius fatetur, *d.* §.*25.in f.*

§.13. Sed & alia multifariã in *d.§.25.* Grotii noranda sunt: uti 1. Quòd ait, regna alienabilia à bonis aliis nihil differre: cùm tamen his dominus abuti possit; illis Princeps non possit: hæc ad usus vitæ privatæ; illa ad usum populi & reip. naturâ constituta sint, &c. 2. Quod dicit, exheredationem in his regnis J. Naturali fieri posse usque ad alimenta, & de cætero ex causis lege comprehensis: cùm tamen hæ sunt Constitutiones meri J. Civilis; neque regna debeantur ad alimenta, cùm imperii causâ; non ad alendũ jure gentium inducta fuerint. Nec 3. Pater post mortem debet alimenta liberis, (cùm totum edu-

educandi officium morte finitum sit) sed hereditatem, unde nec cohærent nec concludunt tradita *d. §. 25.* 4. Exempla eorum qui ob delictum exclusi sunt, nihil huc faciunt; Jacobus enim, qui Rubenem à jure primigenii exclusit, de rebus suis privatis disposuit; David, qui Adoniam, per actum inter vivos, quod tamen nec obtinuit: uti & exclusio Caroli VII. Delphini, cujus voluntate Dux Burgundiæ occisus fuerat, omnium judicio improbata fuit. 5. Gratis deniq; asserit, filium in patrem grave crimen committentem tacitè pro exheredato habendum, si nulla sint condonatæ culpæ indicia; Nam cùm J. Nat. ne quidem expressè exheredatio fieri possit, multò minus tacitè poterit. Nec equidem exheredatio valet nisi facta probetur. Quin condonasse potiùs injuriam videtur, qui eam ad animum non revocavit, vel ultus non est. Accedit, quod nec Jus Civile quidem tacitam exheredationẽ concedat.

§. 14. Illud quidem rectè animadvertit Grot. *L. 2. c. 10. §. 1. n. 5.* heredem ex testamento, quod falsum est, licèt sine ipsius culpa factum fuerit, capere non posse; addens, meritò Ciceronem reprehendisse hoc ipsum in M. Crasso & Q. Hortensio, allegatâ ratione, quod alia sit obligatio ex re, alia ex delicto: qui verò ex testamento falso agit, ignorans tale esse, non repellitur ex suo delicto, sed ex rei vitio. De Lacedæmoniis verò quod addit, non adeò quadrat; cùm Phœbida, Dux Lacedæmoniorum, jussu horum arcem Cadmeam contra fœdus occupaverit: ipsorumq; adeò delictum proprium concurrat. Sed &, quamvis Phœbida eorum injussu hoc fecisset, tamen per hoc non fuisset purgatum delictũ, sed tùm demũ, si omnia in pristinum statum fuissent restituta: injustum enim est, factum improbare, & tamen retinere quæ sine facto illo non haberent.

berent; ut Grot. *l. 3. c. 22. §. 3.* ipse tradit: Lacedæmonii verò arcem retinuerunt. Quare contradicere sibi videtur Grotius cùm ait, Lacedæmonios injustitiâ se liberâsse damnato Phœbidâ: cùm tamen ipsi æquè peccâssent mandando; mandantis verò & mandatarii idem delictum est. Per damnationem ergo Phœbidæ non minuerunt, sed auxerunt injustitiam; quia damnârunt factum & tamen retinuerunt arcem.

§. 15. Videamus quæstiones quasdam hinc consectarias, inprimis; An Princeps pro parte testatus & pro parte intestatus decedere possit? Videtur hoc negandum, cùm in *L. 7. de Reg. Jur.* dicatur, *naturalem hanc pugnam esse, pro parte testatum & pro parte intestatum decedere*: Sed Resp. non esse pugnam naturalem nisi ex hypothesi Juris civilis, quo verbo *testamenti* tantùm intelligitur dispositio Universalis. Hoc verò posito, contradictio est, universaliter seu de universis bonis & juribus suis disposuisse, & tamen pro parte tantùm testatum esse. Unde & miles, qui jure gentium utitur, pro parte testari potest. *l. 6. ff. de Test. mil.* Et ita generalis regula statui potest, quod summi Principes ita ut milites testari possint: utrique enim solo jure gentium utuntur: excepto tamen, quod summi Principes quoq; filios suos excludere nequeant, etsi milites possint: *l. 7. l. 9. C. eod.* id enim specialissimâ ratione militum privilegio concessum est: Uti & contrâ specialissimè iis quædam interdicta sunt, v. g. quòd miles non possit jure militari instituere concubinam, *l. 14. ff. de His quæ ut ind.* vel in quam aliàs turpis suspicio cadit: *l. 41. §. 1. ff. de Test. mil.* &c. quæ ad Principes non pertinent. Cæterùm quòd nec numerus nec rogatio testium, nec unus contextus jure gentium requiratur, & similia, per se apparent.

§. 16. Su-

§. 16. Supereſt nunc, ut videamus, de quibus rebus teſtamenta facere poſsint: Ubi ante omnia diſtinguenda ſunt bona Principis & bona Principatûs, de his nunquã teſtari poteſt, de illis ſemper: illa dicũtur Domania, hæc bona Coronæ. *D.Par.J. Publ.c.9.§.17.& ſeqq.* Neq; valet diſtinctio Grotii, quam *L.2.c.6.§.3 L.2.c.7.§.10. L.1.c.3.§.12.& paſſ.* ſtrenuè inculcat, & Conring. *de Finib. Imp. c. 19.* amplectitur, inter regna quæ ſunt in patrimonio, & quæ non ſunt in patrimonio. Pernegamus enim ulla juſta regna eſſe in patrimonio, ſed id plenum contradictionis eſt. (1.) Quia ut primùm res in patrimonio noſtro eſſe incipit, fit dominiũ & res privata; Nec jam regnum erit ſed tyrannis; non imperium, ſed magna familia; non civitas ſed lata domus tyranni: Ita alluditur falſè ad Neronis tyrannidem apud Sueton. in Ner. *cap. 39.*

Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupet illa domus.

Dominii enim naturâ continetur libera poteſtas diſponendi, imò abutendi: *L. 21. C. Mandat.* quam verò juſti imperii ſubſtantia in totum reſpuit, & unicè in tuendi conſervandique jure ac officio conſiſtit. *L.215. Verb. Sign.* (2.) Regna non regnantis causâ ſunt conſtituta, ſed in favorem & utilitatem ſubjectorum, ut juſtitiam Ille adminiſtret atq; Remp. defendat; dominiũ verò domini cauſâ, totumque ad hujus uſum poteſtatemque refertur. Plures rationes cumulare poſſem, ſed hoc ſatis pro inſtituto.

§. 17. Hinc jam ultrò quaſi fluit, Principem non poſſe de Principatu bonisque coronæ teſtari, niſi conſenſu populi expreſſo vel tacito, quia qui alienat ille perdit & abutitur: *l.3 §. 2. ff. ad SC. Mac. l. 3 §. 1. ff. de Off. Proc. Cæſ.* quod contra naturam Imperii eſſe, jam dictum

 eſt.

est. Secus ergò esse jam patet, si per alienationem rem Imperii potius conservet, quàm perdat vel eâ abutatur, quod fit si necessitas vel justa sit causa alienandi, v.g. si totum conservare non posset nisi partem alienaret; tunc enim est pars ejus administrationis quàm ipsi populus concessit. Neque obstant tot exempla eorum qui in testamentis de regnis suis statuerunt, eaq; alienarunt. Nam jam *sup. §. 13.* satisfactum ei fuit: vel enim effectum nō habuere, vel consensu populi tacito seu expresso factæ, aut postea tacitè saltem approbatæ fuère; vel etiam vis prævaluit. Illud autem tolerari vix potest, quod Grot. *l. 2. c. 6. §. 4.* dicit, difficilius esse partem alienare quàm totum. Utiq; enim is magis peccat, qui totam rem perdit, quàm qui partem alicujus rei. Neq; Obst. ratio quam Grot. *d. l.* allegat, quod illi, qui in civitatem coëunt, societatem quandam perpetuam contrahant, & unum corpus constituant, ut nulla pars deseri à reliquis invita debeat. Nam cùm ipse Grotius *d. l.* rectè fateatur, quòd partes corporis abscindi naturaliter possint in conservationem totius; hoc, quod procedit in corpore naturali, multò magis fieri poterit in corpore Civili, cujus partes nec adeò cohærent; nec tanto cum periculo separantur: hæ enim partes, etsi separatæ à corpore civitatis, vivere tamen possunt, partes autem corporis naturalis viventi abscissas interire necesse est. Illius partes transeunt in novum corpus, cujus spiritu perinde vegetantur ac priore; ut verè dici possit:

Quid refert cui serviam clitellas dum porto meas.

hujus verò planè extinguuntur: prout pluribꝰ & elegãter hoc deducit Gronov. *d. §. 6.* Et licèt Grot. contra hoc regerat, quòd alia ratio sit in corpore civili, quod voluntate contractum est; primævam verò voluntatem

eorum

eorum, qui primi talem societatem contraxerunt, inspiciendam esse, qui minimè credi debent voluisse, ut jus esset corpori partes invitas & abscindere à se, & alii in deditionem dare; id tamen vanum & inane est, nam jam supra diximus ex hujusmodi hariolationibus & divinationibus nullum jus certum, nedum naturale deduci posse. Quòd si liceret tales conjecturas voluntatis primorum hominum afferre, & inde jus statuere (quod tamen non esset jus naturæ, de quo hic quæritur) quæ non exinde orirentur absurditates? Sed & posito, voluntatem primorum hominum societatem contrahentium spectari debere, eamque hìc certam esse ne discederent: id tamen hactenus tantum intelligendum esset, ne sine causa possent discedere. Imò contrà, si necessitas accideret, credendum potiùs est, eas potiùs voluisse partes separari, quàm totam civitatem in discrimen adduci.

§. 18. Denique subjicimus quæstionem, An Princeps in suo testamento judicare posit de successione, quæ inter quosdam controvertitur. Et Grot. *L. 2. c. 7. §. 27.* tradit, Principem nunc imperantem non posse judicare de successione, quoad judicium jurisdictionis, cùm jurisdictio non sit nisi superioris, qui non modò quoad personam, sed & quoad causam superior est, causam Imperii verò non esse subjectam regi nunc regnanti, quia Princeps nunc regnans nullo modò potest obligare suum successorem. Qua sententia omninò vera & plana est. Cùm enim nullum jus successionis, nedum lis de successione esse posit, nisi post mortem regnantis; efficitur utique nemini judicium in causa competere, nisi qui tunc legitimus judex est cùm causa agitatur; nequaquam autem illi, qui eo tempore jam defunctus est: nec quicquam magis à ratione alienum est, quàm mortuum esse causæ tùm cùm ventilatur judicem. Sed & certum est, omnes qui de regno contendunt, nullum in ea causa agnoscere Superiorem, cùm omnes

mnes se reges, & cùm summa potestate esse contendant, quos repugnat habere judicem & superiorem. In contrarium discedere videtur Vir magnâ olim eruditionis celebritate, Dn. Joh. Frid. Gronovius *ad d.* §. *27.* Verùm videtur Vir Doctiss. potiùs quid optandum, quàm quid juris sit concludere: Ratio certè ab officio Principis ducta non potest ultra terminos officii, quod morte extinguitur, extendi. Nec altera, quòd, de quo vivo Rege ambigitur, id à rege decidi possit, aliter admitti, quàm si lis jam moveri possit ac mota fuerit, (nuda enim dubitatio non requirit judicem) nec causa exemta sit, uti cùm de summa potestate contenditur, quæ suâ naturâ judicem in terris non patitur. Nec exempla rem decidunt. Inter Artabazanem enim & Xerxem causam definiisse patrem Darium refert quidem Herod. *l. 7. princ.* sed patrum ex compromisso ultroneo termināsse, Justin. *l. 2. c. 10.* alii populum judicāsse: uti ex Plut. Grot. *d* §. *27 in fin.* Quicquid sit, satis equidem patet, Dario mortuo litem renovatam saltem, & adeò judicium Darii irritum fuisse. Inter Artaxerxem & Cyrum minorem non judicavit pater, sed priori, tanquam natu majori, testamento regnum legavit: Justin. *lib. 5. cap. 11.* cujus causam eventus prælii probavit non quia legatum ipsi fuit, sed quia natu major fuit, cui regnum jure gentium debetur. Tantùm pro instituti ratione. Finiam verbis Ciceronis *de Invent. circa princ.* si temerè aliquid præteriisse aut non satis eleganter secutus videbor, doctus ab aliis facile & lubenter sententiam commutabo. Non enim parùm cognosce, sed in parùm cognito stultè & diu perseverāsse stultum est.

SOLI DEO GLORIA!